

Et depositum inuoluit sindone. et posuit eum in monumento
excisso. in quo nondum quisquam positus fuerat.
Et dies erat parasceues et sabbatum inlucescebat. sub se
quutę autem mulieres quae cum ipso uenerant de galilea.
uiderunt monumentum et quemadmodum positum erat
corpus eius.
Et reuertentes parauerunt aromata et unguenta. et
sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.
Vna autem sabbati ualde diluculo uenerunt ad monumen
tum. portantes quae parauerant aromata. et inue
nerunt lapidem reuolutum a monumento. et ingressę
non inuenerunt corpus dni ihu. Et factum est dum
mente consternatę essent de isto. ecce duo uiri steterunt
secus illas in ueste fulgenti.
Tum timerent autem et declinauerunt uultum in terram.
dixerunt ad illas. Quid quaeritis uiuentem cum mor
tuis. non est hic. sed resurrexit. Recordamini qualiter
loquutus est uobis cum adhuc in galilea esset dicens. quia
oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum
et crucifigi. et die tertia resurgere.
Et recordatę sunt uerborum eius. et regressę a monumento.
nuntiauerunt haec omnia illis undecim et ceteris omnibus.
Erat autem maria magdalenae et iohanna et maria ia
cobi. et ceterę quae cum eis erant quae dicebant ad apostolos

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Stadt Nürnberg - Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/stbn_centVapp43b/0303